Reuerendo in xpristo patri ac domino
domino Raymundo diuina prouidencia
sancte sedis Valencie Episcopo suorum deuo-
torum minimus Guido de monte Rotherij
cum deuota et humili recommendacione
se totum eius seruis obsequijs mancipatum Fons
sapiencie dei verbum disposicione mirabili omnia
ordinans et disponens militantem ecclesiam or-
dinauit et disposuit ad instar ecclesie triumphantis
Quod figuratiue fuit ostensum legis latori moy-
si Exo. xxv° Cum preceptum fuit sibi edificare
tabernaculum in deserto iuxta exemplar quod
sibi in monte fuerat demonstratum Taberna-
culum siquidem in huius mundi deserto constructum
est militans ecclesia, ad instar illius que sursum
est iherusalem ordinata Cuius quidem militantis
ecclesie fundamentum in montibus sanctis propheta re-
memorans per montes superiores prelatos a-
postolis succedentes, insinuat qui ad modum
spirituum superne ierarchie medios inferiores
videlicet et prelatos illuminant perficiunt atque
purgant ut sic medij a superioribus illuminati
sanctis perfectis virtutibus ac erroribus expurgati
inferiores seculares scilicet et laycos simili
modo illuminent perficiant et expurgent
Quod facere nequeunt nisi fuerint diuinis
doctrinis imbuti Hec ergo attenta et vigili
meditacione compensans, sequens opusculum
de instructione neophitorum curatorum composui
rudi quidem stilo, sed utili non curans de

verborum ornatu sed ad curatorum commodo et profectu.
Quod quidem opusculum ad vos qui estis sacrosancte
ecclesie luminare preclarum qui lucetis velut
lucerna in firmamento ecclesie militantis tum
radiis divine sapientie exemplisque vite sanctissime
ac sarculo correctionis caritative subditos
vestros illuminatis et purgatis duxi humiliter
destinandum. ut lima correctionis vestre politum
prodeat in publicum. quod sine illa prodire non
audet. Suscipiatis vos igitur pater cum affectu
benivolo presens opusculum quod offert humili-
tas committat affectio ac caritas persuadet
correctioni quam et emendationi si vestre dominationi
videtur communicare quoque curatis neophitis ut
qui nesciunt addiscant. et qui scire sciunt se
gaudeant et ad maiora conscendant. Vestram
reverendam personam conservet dominus ecclesie
sancte sue cui humiliter me commendo. Scriptum
Turoli Anno domini M.ccc.xxxiii. Incipit prologus

Quoniam secundum quod dicit propheta Malachias
ymo dominus per malachiam. Labia sacer-
dotis custodiunt scientiam et legem requirent
de ore eius. angelus enim domini exercituum
est. Periculo ne sacerdotibus legis evan-
gelice contingat id. quod dominus cuidam sacerdoti
legis mosayce per Osee prophetam comminatur
dicens. Quia tu scientiam repulisti. et ego
repellam te ne sacerdotio fungaris michi
Dignum duxi aliqua ad instructionem neophitorum